

teneantur. » Atqui, si præscriptio non valeret in foro conscientiae, sed remaneret obligatio restituendi, possessores non « quieti et perpetuo, » sed anxii semper remanebunt. Ergo.

[*Confirm.* 2<sup>o</sup> hac altera ratione. Præscriptio secundum leges acquisita valet in foro conscientiae, si non repugnet æquitati. Atqui talis præscriptio æquitati non repugnat. Ergo. — Prob. min. Ut judicetur de legis æquitate, considerata est lex, non quoad privatos, sed in se, ante quemlibet eventum. Atqui lex præscriptionem statuens sic considerata, nullimode lædit æquitatem; quia tunc par est pro quolibet privato spes lucri et damni: unde sane potuissent privati inter se juste decernere quod dominium acquireretur vel obligationes exstingerentur per diuturnam possessionem. Quod autem potuissent privati in hac materia, autoritas publica a fortiori potuit id juste facere propter bonum commune. Ergo.]

*Dices*: 23<sup>a</sup> Regula juris, in 6<sup>o</sup>, sic habet: « Sine sua culpa nemo re sua privandus est. »

*Resp.* legem non referri integre; sic enim habet: « Sine sua culpa, nisi subsit causa, non est aliquis re sua privandus. » Subest multiplex causa præscriptionis, ut probatum est.

#### DISSERTATIO IV

### DE JUSTITIA

D. Thomas, q. 58.

Justitia sumitur dupliciter: 1<sup>o</sup> Generaliter pro sanctitate christiana seu pro collectione omnium virtutum, quo sensu dicebat Christus, *Matth.*, v, 20: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Phariseorum, etc.* 2<sup>o</sup> Sumitur specialiter pro virtute particulari, quæ est

secunda inter Cardinales, qua quis inclinatur ad reddendum unicuique quod suum est, et de illa hic agitur.

#### ARTICULUS I

##### *De definitione, objecto et subjecto justitiæ.*

Dico 1<sup>o</sup>: Justitia definitur in jure, ex Ulpiano: « Constantis et perpetua voluntas jus suum cuique tribuens. »

Per voluntatem non intelligitur ipsa potentia volendi, sed actus<sup>1</sup>; unde definitur habitus per actum: quod non est insolitum. Dicitur « perpetua, » non ex parte actus qui perpetuo duret, sed ex parte objecti, quatenus justus vult reddere perpetuo et in omnibus cuique jus suum: unde, si quis velit hanc definitionem ad debitam formam reducere, dicat quod justitia sit « virtus inclinans constanter voluntatem ad perpetuo reddendum unicuique jus suum. » Hinc habes, esse de ratione justitiæ propriæ dictæ quod sit ad alterum.

Dico 2<sup>o</sup>: Objectum materiale remotum justitiæ sunt res exteriores quæ commutantur aut distribuuntur. Materiale proximum sunt actiones quibus hæ res commutantur et distribuuntur. Quia justitia in hoc differt ab aliis virtutibus moralibus, quod hæ rectificent primario et per se hominem in seipso, justitia vero in ordine ad alium<sup>2</sup>. Atqui ordinatio unius hominis ad alium non attenditur secundum interiores affectiones seu passiones, sed secundum exteriores actiones et res quibus homines sibi invicem communicare possunt, ut sunt, quoad res, bona fortunæ, pecuniæ, domus, agri, frumenta, etc.; quoad actiones, æ quibus istæ res commutantur, nimirum venditio, solutio, mutuum, commodatum, locatio, etc.; item etiam eæ actiones in quibus nulla intervenit res exterior, ut honoratio, laudatio, detractio, etc. Ergo.

1. Hic q. 58, a. 1, ad 1, 3 et 4. — 2. Ibid., a. 9 et 10, o.

Objectum formale *quod* justitiæ est jus acceptum pro justo, seu æquali alteri debito<sup>1</sup>; quia id principaliter intendit et facit justitia, ut patet ex ejus definitione, et per hoc ab aliis virtutibus distinguitur. Unde dicitur justus qui hanc æqualitatem facit aut servat, injustus qui non servat.

Objectum formale *quo* est ratio debiti, seu jus in altero, sumptum pro legitima facultate possidendi, alienandi, etc. Ratio enim cur æquale alteri reddam, est quia ipsi debeo; debeo autem quia ille alter habet jus ad illud: debitum enim et jus sunt correlativa.

Dico 3<sup>o</sup>: Subjectum justitiæ est voluntas<sup>2</sup>. Non enim est intellectus, quia justitia non ordinatur per se primario ad dirigendum aliquem actum cognoscitivum; neque est appetitus sensitivus, quia appetitus sensitivus sequitur apprehensionem sensitivam, apprehensio autem sensitiva non considerat proportionem unius ad alterum, quod spectat ad justitiam; hoc enim est proprium rationis. Ergo.

## ARTICULUS II

### *De divisione justitiæ.*

Dico 1<sup>o</sup>: Justitia, ut sic, dividitur in generalem seu legalem, quæ ordinat cives ad bonum generale seu commune, ut partes ad totum, et particularem, quæ ordinat civem ad civem<sup>3</sup>.

Dico 2<sup>o</sup>: Justitia particularis subdividitur adæquate in commutativam et distributivam, tamquam in species essentialiter distinctas<sup>4</sup>.

*Prob.* prima pars<sup>5</sup>. Justitia particularis est virtus qua quis ordinatur ad aliquam personam particularem. Atqui duplex est ordo unius ad alterum particularem, nempe vel partis ad partem, vel totius ad partem. Primum dirigit justitia commutativa, secundum distributiva. Ergo.

1. Hic q. 57, a. 1, o. — 2. Hic q. 58, a. 4, o. — 3. Ibid., a. 5, o. — 4. Hic q. 61, a. 1, o et ad 5. — 5. Ibid., o.

*Prob.* secunda pars<sup>1</sup>. 1<sup>o</sup> Cum ad rationem justitiæ pertineat quod debitum alteri reddat, ubi invenitur specialis ratio debiti alicui personæ, ibi est specialis virtus. Atqui in justitia commutativa et distributiva invenitur specialis ratio debiti. Ergo. — *Prob.* min. In commutativa redditur cuique quod suum est et debitum simpliciter, scilicet quod est ipsi proprium et appropriatum atque in ejus dominio, licet ab altero detineatur. In distributiva vero redditur cuique quod suum est et debitum, non simpliciter, sed secundum quid, jure scilicet condignitatis et communitatis cujus est pars; quæ enim sunt totius, quodam modo sunt partium. Atqui hæc ratio debiti est diversa, ut patet. Alia enim ratione debetur res quæ est propria creditoris et jam in ejus dominium immissa; alia quia est totius communitatis cujus est membrum, et ea ratione, attenda ejus condignitate, habet jus ut fiat propria. Ergo.

*Nota.* Et hæc est ratio cur violatio justitiæ commutativæ inducat obligationem restituendi, non violatio justitiæ præcise qua distributivæ.

*Prob.* 2<sup>o</sup>. Generalis forma justitiæ est æqualitas<sup>2</sup>. Atqui reperitur diversa æqualitas in justitia commutativa et distributiva. Ergo. — *Prob.* min. In commutativa est æqualitas absoluta rei ad rem, quæ dicitur proportio arithmetica, ut si debeas centum, reddas centum; in distributiva est æqualitas non absoluta, sed proportionis, quæ dicitur geometrica, ut si, v. g., in distributione boni communis dentur decem nummi ei qui habet sex gradus meriti, dentur quinque ei qui habet tres gradus. Ergo.

*Petes* utrum inter patrem et filium non emancipatum, inter dominum et mancipium, inter virum et uxorem sit justitia proprie dicta.

*Resp.* esse justitiam proprie dictam, non tamen omnino perfectam<sup>3</sup>; quia, licet filius, ut filius, sit aliquid patris, tamquam pars ejus, mancipium aliquid domini, ut ejus instrumentum, uxor aliquid viri, qui est ejus caput et cui

1. Ibid., ad 5. — 2. Ibid., a. 2, o et ad 2. — 3. Hic q. 57, a. 4, o.

subjecta est, ex quo capite non est inter illos perfecte justitia ad alterum : attamen, quatenus homines isti sunt supposita distincta, filius a patre, mancipium a domino, uxor a viro ; justitia sub ista ratione est ad alterum, sicque salvatur ratio justitiæ proprie dictæ, licet non omnino perfectæ.

## DISSERTATIO V

DE ACTU JUSTITIÆ UT SIC, NEMPE  
DE JUDICIO

D. Thomas, q. 60.

## ARTICULUS I

*Utrum judicium sit licitum?*

Judicium, prout hic sumitur, est definitio seu determinatio juris seu justitiae ; justum autem, ut patet ex dictis, est æquale alteri debitum, quod est objectum justitiæ<sup>1</sup>. Ex quo patet quod sit actus justitiæ, quia justitiæ est definire et determinare id quod est justum et æquale alteri debitum.

Agimus itaque de judicio hoc sensu sumpto, non solum prout exercetur exterius a giudice inter partes litigantes, sed etiam prout exercetur, sive exterius sive interius, a privatis circa vitam, res et mores aliorum.

Dico : Judicium debitis circumstantiis vestitum, est licitum<sup>2</sup>. Est contra Waldenses et Anabaptistas.

*Prob.* 1<sup>o</sup> ex Scripturis. *Deuter.*, xvi, 18, dicit Deus Moysi : *Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, ... ut judicent populum justo judicio*<sup>3</sup>. Et cap. 1, 16 :

1. Hic q. 60, a. 1, o. — 2. *Ibid.*, a. 2, o. — 3. *Ibid.*, in arg. *Sed contra.*

*Quod justum est judicate.* Quod repetit Christus, *Joann.*, vii, 24. *Apost.*, ad *Rom.*, xiii, 4, asserit quod *non sine causa judex gladium portat ; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Petrus, *Act.*, v, 3, judicavit Ananiam et Saphiram ; Paulus, *I Cor.*, v, 3, incestuosum Corinthium.

*Prob.* ratione<sup>1</sup>. Omnis actus virtutis est licitus. Atqui judicium debitis circumstantiis vestitum est actus virtutis, scilicet justitiæ, ut dictum est. Ergo.

Dixi, « vestitum debitis circumstantiis, » quæ sunt tres<sup>2</sup> : prima, ut procedat ex inclinatione justitiæ ; secunda, quod procedat ex autoritate præsentis ; tertia, quod proferatur secundum rectam rationem prudentiæ. Prima conditio potest intelligi duplici sensu : primo, quod judicium non sit contra justitiam ; secundo, quod sit ex amore justitiæ, et non ex aliquo motivo humano, puta odio, ira, avaritia, inani gloria, etc. Defectu primæ conditionis primo sensu intellectæ, judicium est perversum et injustum. Defectu ejusdem conditionis secundo sensu intellectæ, non est proprie injustum judicium, malum tamen et illicitum graviter vel leviter pro qualitate motivi. Defectu secundæ conditionis, est judicium usurpatum. Sed id spectat judicium publicum ; cum enim justitia sit in privatis, potest etiam in eis esse verum et rectum judicium absque autoritate. Defectu tertiæ conditionis, est judicium temerarium, quando nempe quis ob leves rationes judicat dubia et occulta.

## ARTICULUS II

*De suspitione et judicio temerario.*

*Nota* suspitionem, dubitationem, opinionem et judicium, ubi agitur de malo proximi, sæpe prout uno et eodem sumi apud doctos et indoctos. Hujus confusionis ratio est,

1. *Ibid.*, o. — 2. *Ibid.*

quia hi omnes actus sunt de malo proximi et ex insufficientibus indiciis, quatenus sunt temerarii, prout hic sumuntur.

Attamen, si strictè loquamur, hi omnes actus inter se distinguuntur. Etenim dubitatio est, cum animus in utramque partem movetur, sed neutri assentitur, manetque pendulus inter utramque. Suspicio est, cum intellectus a dubio seu medio recedens, magis inclinatur in assensum unius partis, sic tamen ut necdum assentiat. Quidam eam non distinguunt ab opinione, nisi secundum plus et minus, voluntque eam esse opinionem debilem seu cum magna formidine; opinio autem est assensus in unam partem, cum formidine partis oppositæ. Judicium est assensus certus et firmus in unam partem, sine formidine partis oppositæ.

Nos hic agimus de suspicione temeraria prout comprehendit dubitationem et opinionem, et quæstio præcipua est, utrum sit ex genere suo peccatum mortale, ita quod in individuo sit semper mortalis, quando est plene deliberata de gravi malo proximi. Et est etiam difficultas de mente S. Thomæ. Ut a certioribus incipiamus,

Dico 1<sup>o</sup>: Judicium temerarium est ex genere suo peccatum mortale. Est certa et communis cum Authore<sup>1</sup>.

*Prob. 1<sup>o</sup> ex Scriptura. Matth., vii, 1, dicitur: Nolite judicare, ut non judicemini. Luc., vi, 37: Nolite judicare, et non judicabimini. Ad Rom., xiv, 4: Tu quis es, qui iudicas alienum servum?*

*Prob. 2<sup>o</sup>. Judicium temerarium non est sine injuria et contemptu proximi, proindeque est contra justitiam et charitatem<sup>2</sup>. Ergo ex genere suo est peccatum mortale.*

*Confirm. Unusquisque habet jus ut bona æstimatio de eo habeatur ab aliis, quamdiu non probatur malus. Atqui qui judicat temerarie de proximi malo, contra istud jus agit. Ergo est contra justitiam. Etiam contra charitatem: 1<sup>o</sup> quia contra illud charitatis et rectæ rationis principium:*

1. Hic q. 60, a. 3, o. — 2. Ibid.

« Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; » 2<sup>o</sup> quia fieri non potest ut qui sic de proximo judicat, illi sit bene affectus.

Dico 2<sup>o</sup>: Probabilius est suspicionem temerariam de malo proximi, prout comprehendit dubitationem et opinionem, esse ex genere suo peccatum mortale, proindeque in individuo esse semper peccatum mortale, quando est plene deliberata de gravi malo proximi.

*Prob. Illud est peccatum ex genere suo mortale, quod contrariatur justitiæ et charitati. Atqui talis est suspicio temeraria. Ergo. — Prob. min. 1<sup>o</sup> Quia, ut dicit S. Thomas<sup>1</sup>, non est sine contemptu proximi, et ideo injuriatur ei. 2<sup>o</sup> Unusquisque habet jus ut æstimetur ab aliis probus, quamdiu non apparet sufficienter ejus malitia. Atqui contra istud jus agit qui de eo temerarie malum suspicatur, aut de ejus probitate dubitat. Ergo contra justitiam. Etiam contra charitatem: 1<sup>o</sup> quia agit contra hoc primum totius vitæ socialis principium: « Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; » 2<sup>o</sup> quia vix fieri potest ut qui temerarie suspicatur malum de proximo, illi bene afficiatur. Ergo.*

*Respondent adversarii, et est præcipuum eorum fundamentum, esse quidem injuriam et contemptum, sed incompletum; quia suspicio est quid incompletum in genere judicii.*

*Sed contra. Esto contemptus sit incompletus in genere judicii, inde non probatur istum contemptum incompletum non esse mortalem ex genere suo; quia, licet sit incompletus in genere judicii, est tamen completus in genere actus perfecte deliberati. Sic, v. g., dubitatio plene voluntaria in materia fidei est judicium incompletum et contemptus incompletus in genere judicii; sed, quia est completus in genere actus perfecte deliberati, est sufficiens ad peccatum mortale. Sic iterum detractio de proximo apud unum solum virum probum, est contemptus incompletus, et tamen, juxta valde probabilem sententiam, est peccatum mortale ex genere. Aut, si vis,*

1. Ibid., ad 2 et a. 4, o.

detractio apud decem est contemptus minus completus quam detractio apud viginti, et tamen utrobique est peccatum mortale ex genere.

*Prob.* 2<sup>o</sup> et magis conculitur hoc præcipuum adversariorum effugium. Suspicio temeraria de gravissimis malis proximi est in individuo peccatum mortale. Ergo suspicio temeraria ex genere suo est peccatum mortale. — Patet consequentia; quia quod est veniale ex genere suo, quantumvis augeatur intra suam speciem, remanet veniale, nec fit mortale, nisi per aliquam circumstantiam trahatur ad aliam speciem, ut docent communiter theologi post D. Thomam, 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 88, a. 5. — *Prob. ant.* Suspicio temeraria in casu graviter contemnit proximum et gravem ei infert injuriam. Ergo. — *Prob. ant.* Nemo est qui non existimet se graviter contemni et gravem pati injuriam, si quis de illo sine causa suspicetur, aut etiam dubitet, quod sit sodomita, incestuosus cum matre, hæreticus, magus, sortiarius, etc., ita quod mallet notabilem pecuniæ summam perdere, quam talem de se haberi suspicionem. Testes ipsos adversarios appello.

Restat difficultas de mente D. Thomæ.

Probatur ergo conclusio ex D. Thoma, aut potius instauratur argumentum ex eo jam factum in probationibus prioribus. Ideo, juxta S. Thomam hic a. 3, o, iudicium temerarium est peccatum mortale ex genere suo, quia est cum contemptu proximi. Atqui, juxta eundem S. Doctorem in resp. ad 2 et in o articuli seq., suspicio est etiam cum contemptu proximi: « Ex hoc ipso, inquit, quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebite contemnit ipsum, et ideo injuriatur ei; » ita ut eodem prorsus modo loquatur de utroque S. Doctor. Ergo.

*Respondet* Serra, S. Thomam loqui de suspicione in secundo gradu, in quo pro iudicio certo accipitur.

*Sed contra.* S. Thomas loquitur de ea suspicione de qua loquitur in argumento cui respondet. Sed in argumento cui respondet, loquitur de suspicione prout distinguitur

a iudicio certo. Patet legenti argumentum, quod est sic: « Per iudicium illicitum fit aliqua injuria proximo. Sed suspicio mala in sola opinione hominis consistit, et sic non videtur ad injuriam alterius pertinere. Ergo suspicio iudicium non est illicitum. »

*Objicies:* S. Thomas hic a. 3, o, distinguens tres gradus suspicionis, dicit: « Primus quidem gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat, et hoc est veniale et leve peccatum; pertinet enim, inquit Augustinus, ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur... »

*Resp.* S. Thomam, sicut et S. Augustinum in quo fundatur, loqui de suspicione repentina et non plene deliberata. Quod patet primo ex ipsis ejus verbis: « Ut, inquit, homo dubitare incipiat; » nemo enim dicitur incipere dubitare, qui post plenam advertentiam deliberate dubitat et dubitare pergit, maxime de gravi malo proximi. Secundo patet ex ratione quam affert ex Augustino, scilicet quod talis suspicio « pertineat ad tentationem humanam, sine qua hæc vita non ducitur. » Porro suspicio temeraria plene deliberata de gravi malo proximi, non ad humanam, sed ad diabolicam tentationem pertinet, ut bene notat Bannez; et falsum est plurimum vitam sine talibus suspicionibus non duci.

*Notanda pro praxi.*

Ut sive suspicio sive iudicium temerarium sit peccatum mortale in individuo, tria requiruntur: Primum, quod sit perfecte deliberatum; secundum, quod sit plene temerarium; tertium, quod sit de gravi malo proximi: quorum si unum desit, erit tantum peccatum veniale.

*Circa primum,* notat Sylvius, post Lessium et alios, ad peccatum mortale in suspicione seu iudicio temerario non sufficere qualitercumque deliberate suspicari aut iudicare; sed quod debeas advertere et scire, aut saltem

1. Aug., in Ps. LX enarr., n. 3.

dubitare te et ex signis insufficientibus et de re gravi judicare aut suspicari; alias, inquit, iudicium non erit voluntarium, saltem ex parte qua est temerarium aut de re gravi. Id quidem admitto quoad conditionem rei gravis, non solum propter dictam rationem, sed quia tunc non contemnis graviter proximum. Quoad vero insufficientiam indiciorum, restringendum puto sic: nisi ex malevolentia, invidia, odio, similive passione voluntarie excæcatus circa insufficientiam indiciorum, ea discutere negligas et iudicium præcipites; tunc enim virtualiter illam advertis, cum debeas et possis advertere. Et insuper alioquin vix ullum foret iudicium temerarium, cum homo male affectus erga alterum, facile sibi persuadeat indicia quæ habet de malo inimici esse sufficientia.

*Circa secundum*, merito dixi iudicium temerarium non esse peccatum mortale, nisi sit plene temerarium, cum tota ejus malitia ex temeritate oriatur: ita ut, si nullo modo esset temerarium, hoc est, si adessent omnino sufficientia indicia, nullatenus foret peccatum; quia tunc esset iudicium prudens et rationale, neque per illud inferretur injuria proximo. Proximus enim amisit jus suæ famæ et bonæ existimationis respectu illius cui ejus crimen sufficientibus indicibus probatur.

Quod si indicia non sint quidem omnino sufficientia, proxime tamen accedant ad sufficientiam, non erit etiam peccatum mortale; quia magna probabilitas non multum distat a morali certitudine: unde non erit gravis temeritas, nec proinde gravis injuria.

Et quia judicare certo, est quid plus quam simpliciter opinari, opinari quam suspicari, et suspicari quam dubitare, ideo majora indicia requiruntur ad judicandum quam ad suspicandum, et ad suspicandum quam ad dubitandum.

*Circa tertium* nota, malum grave in hac materia, sicut in materia detractionis, esse id omne et solum quod, attenta personarum et facti qualitate, est valde probrosum ac graviter nocivum honori, famæ ac bonæ existimationi

proximi, sive peccatum sit sive non; quia malitia hujus peccati consistit in contemptu proximi.

Quamvis ergo peccatum mortale secundum se sit materia gravis, et peccatum veniale materia levis, per accidens tamen, ex personarum aut facti qualitate, contrarium sæpe contingit. Quidam enim sunt qui ex certis peccatis etiam mortalibus non diffamantur apud homines, nec ipsi verecundantur, sed quandoque laudi ducunt, v. g., duellum aut fornicatio respectu militis, ebrietas respectu plebei in his partibus, de quibus si hæc temerarie judices, non peccas mortaliter, quia respectu illorum non est materia gravis. E contra quidam sunt qui ex peccatis venialibus, aut etiam ex his quæ peccata non sunt, multum contemnuntur: ut si de episcopo vel summo Pontifice temerarie judices esse mendacem habitualiter.

[E contra, S. Ligorius<sup>1</sup> censet suspicionem esse tantum ex genere suo peccatum veniale. « Suspicio, inquit, et dubitatio temeraria ex genere suo videntur esse peccata tantum venialia, maxime si procedant ex errore intellectus, quo indicia ut sufficientia apprehenduntur. Ita Layman, ex S. Thoma..., contra multos qui putant esse mortale. Ratio est, quia communiter suspicio tantum est conceitatio quædam ad assensum; manet enim in mente suspicantis aliquo modo bona existimatio proximi. Ergo non fit illi gravis injuria, cum non totaliter deturbetur de possessione bonæ famæ; fit tamen aliqua, quia temere dubitatur.

» Dixi, « maxime si ex errore, » quia talis, cum non sit per se voluntaria, nec pertinax, meretur excusationem; si vero ex malevolentia in suspicione gravi persistas, erit mortale, ut docent Lessius, etc., ob injuriæ gravitatem. Attamen idem est de dubitatione positiva orta ex malevolentia, absque causa; procedit enim ex contemptu alterius, proindeque gravis injuria reputatur. »

S. Ligorio in hoc consentit Gury<sup>2</sup>.

Idem Doctor<sup>3</sup>, contra Cajetanum, Navarrum et plures

1. Lib. IV, n. 963. — 2. N. 466, 3°. — 3. Ubi supra, n. 964.

alios dicentes suspicionem quantumvis temerariam nunquam pertinere posse ad mortale, ut probabiliorem tenet sententiam oppositam, « si suspicio sive dubitatio sine iudiciis fieret de peccatis gravissimis, ut esset de pio religioso suspicari quod sit hæreticus... , vel de viro communiter habito ut catholico quod sit Judæus vel atheus. Ratio, quia forte major injuria iis irrogatur talia suspicando, quam si certum iudicium haberetur illorum de delictis gravibus ordinariis ». Et hoc consonat cum eo quod supra dixit Billuart *circa tertium*.

Inde apparet disputantes inter se, an mala suspicio sit ex genere suo peccatum mortale aut veniale, convenire in decernendo quod pertinere possit ad mortale, propter rationes diversas, scilicet vel ex natura sua, cum materia gravis fit, vel ex circumstantiis aggravantibus. Hoc retinendum est, quantum ad praxim, quidquid sit de quaestione speculativa, circa quam cuique licet in sensu suo abundare.

*Nota* quod monet S. Ligorius<sup>1</sup> : « In hac materia advertat confessarius, multos rudes se accusare quod temere judicarent. Oportet efficere ut ipsi sciant : 1º cum adsunt sufficientia momenta ita judicandi de aliqua actione, iudicium non esse temerarium, sed justum, adeoque non esse culpabile; 2º hæc, ut plurimum, non esse iudicia, sed suspiciones, quas domini et patresfamilias aliquando tenentur habere, ut aliquod peccatum impediant, v. g., ne servi furentur, ne filiæ peccent cum hominibus verando, et alia id genus. Tantum advertatur ne hujusmodi suspiciones aliis communicent sine necessitate. »]

### ARTICULUS III

*Utrum dubia de malo proximi sint in meliorem partem interpretanda*

Dubium potest dupliciter interpretari in meliorem partem

1. *Homo apost.*, XI, 2.

tem : uno modo, negative, non declinando in pejorem; altero modo, positive, declinando in meliorem.

Dico 1º : Dubia de malo proximi sunt in meliorem partem interpretanda negative. Sequitur ex præcedenti articulo et ex eodem principio.

*Prob.* Hoc ipso quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, contemnit ipsum et injuriatur ei, ut dictum est; quod est illicitum. Atqui qui dubium de malo proximi non interpretatur in meliorem partem saltem negative, sed declinat in pejorem, habet malam opinionem de proximo absque sufficienti causa, cum rationes dubitandi sint in utramque partem, et ideo insufficientes ad suspicandum aut opinandum in pejorem. Ergo.

Idem probant omnia quæ diximus contra suspensionem et iudicium temerarium.

Dico 2º : Dubia de malo proximi non sunt semper in meliorem partem interpretanda positive, sed in certis tantum casibus.

*Prob.* 1º quia præceptum bene judicandi de proximo in dubio est affirmativum, sicut præceptum illum honorandi vel diligendi, quod non obligat pro semper.

*Prob.* 2º. Vel sunt sufficientes rationes dubitandi, vel non. Si primum, possumus manere dubii, suspendentes iudicium, nec declinantes in alterutram partem; quia dubium non est temerarium, sed rationabile. Si secundum, debet statim excuti dubium, quia est temerarium. Sed non est noster casus; agimus enim de dubio fundato et rationabili.

Attamen, et est secunda pars conclusionis, supposito quod, re utrinque dubia, aliquis actus sit eliciendus de bonitate vel malitia proximi, ille debet fieri in meliorem partem, adeoque dubium positive interpretari in meliorem partem, et id directe probant rationes primæ conclusionis.

Item, si gravis urgeret tentatio male opinandi vel iudicandi de proximo, quam quis vincere non posset nisi

positive judicando in bonam partem, ad id etiam teneatur, propter eandem rationem.

*Nota diligenter pro praxi*<sup>1</sup>. Quando agitur de cautela seu remedio adhibendo malis nostris vel alienis, licitum est interpretari dubia in pejorem partem, non quidem diffiniendo sive determinando, sed supponendo quod pejus est, aut etiam judicando quod possit esse tale. Sic enim expedit, ut securius remedium seu cautela adhibeatur, quia remedium quod est efficax contra majus malum, multo magis est efficax contra minus malum, nec ulli facis injuriam; quia non judicas, neque suspicaris aut dubitas tuum proximum esse de facto vitiosum, sed supponis dumtaxat esse talem, aut judicas posse esse talem, quod utique verum est nec illi injuriosum, et ex ea suppositione tibi tuisque caves, ac si revera talis esset.

Hoc genere suppositionis passim utimur absque peccato. Sic pater prohibet prudenter filiae consortium alicujus adolescentis, quia potest ab illo seduci. Dominus attentius claudit arcam, custodit pecunias, quia domestici vel hospites ignoti possunt esse fures. Viator expedit arma in occursum hominis ignoti, quia potest esse latro; vitat occursum vetulae deformis, quia potest esse saga. Et sic plura alia. Cave tamen ut semper rectum de proximo iudicium in mente teneas, nec ultra sufficientiam indiciorum dubites, suspicaris aut judices. Sic etiam tuis cave, ut per nimiam cautelam proximum non diffames aut contristeris.

[Utrum iudicium publicum sit secundum leges ferendum, et per usurpationem fiat perversum, quod hic art. 5 et 6 discutit S. Thomas, dicetur infra, dum de injustitia iudicis.]

1. Hic q. 60, a. 4, ad 3.

## DISSERTATIO VI

## DE ACTU JUSTITIÆ COMMUTATIVÆ, NEMPE DE RESTITUTIONE

D. Thomas, q. 62.

## ARTICULUS I

*De quidditate et necessitate restitutionis.*

Restitutio est rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio.

Differt restitutio a solutione et satisfactione. A solutione; quia solutio postulat ut res quæ solvitur sit diversa a re pro qua solvitur, et quod nondum fuerit in possessione illius cui solvitur. Restitutio autem non postulat ut res quæ restituitur sit diversa a re pro qua restituitur, quin potius postulat ut sit eadem, quantum fieri potest, aut saltem æquivalens, et consequenter postulat, quantum est ex se, ut jam fuerit in possessione illius cui restituitur. Unde qui depositum reddit, vere restituit, non tamen solvit; e contra, qui dat pecuniam pro tritico empto, proprie solvit, non tamen restituit.

A satisfactione distinguitur restitutio<sup>1</sup>: 1<sup>o</sup> quia satisfactio proprie respicit personam cui fit satis, quamvis non exhibeat æquivalens debito; restitutio autem respicit rem quæ debet eadem reddi vel æquivalens. 2<sup>o</sup> Satisfactio respicit injuriam illatam seu honorem violatum, etsi nullo aliud damnum sit illatum; restitutio autem respicit damnum illatum.

Dico 1<sup>o</sup>: Restitutio est actus justitiæ commutativæ<sup>2</sup>;

1. In IV *Sentent.*, dist. 5, q. 1, a. 5, quæstiunc. 1 — 2. Hic q. 62, a. 1, o.